

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CCCCXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295125)

## C C C C X I I .

LITTERÆ PII P. M. AD BASILIENSEM ET SPIREN-  
SEM EPISCOPOS DE CONFIRMATIONE PRIVILEGII  
MARCHIONIBUS BADENSIBUS A JUDICIO  
WESTPHAL. ETC. CONCESSI.

A N N O M C C C C L I X .

*Ex Tabulario Badensi.*

**R**omani Pontificis providentia circumspēcta ad ea libenter intendit, per que fidelium dispendiis obviatur, & que per catholicos Principes super ministranda justitia in Commodum subditorum facta dicuntur, firma perpetuo & illibata persistant, apostolico munimine roborentur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis Domini CAROLI, Marchionis Badensis petitio continebat, quod, licet progenitores sui & præsertim quondam Jacobus, ejus genitor, & ipse post eos, a pluribus Roman. Regibus & Imperatoribus privilegiati fuerint, & inter alia eis confessum sit, ut eorum subditi & terrigene ac etiam eis commissi & pro quibus respondere tenentur, quique in eorum Tutitione consistunt, non debeant nec possint extra eorum dominia & judicia ordinaria patriae & præsertim præfatus Carolus a Carissimo in Christo filio nostro, Friderico Roman. Imperatore semper Augusto, fuit in specie privilegiatus, ne subditi præfati & alii supradicti ad judicia vetita Westphalica, possint nec debeant pro quacunque causa evocari




trahi aut citari, dummodo conquerenti coram suo ordinario iudice iusticia denegata non fuerit, prout in litteris imperialibus dicitur plenius contineri, nihilominus prefati Caroli subditi Terrigene & alii praedicti, coram iudicibus in dictis vetitis secretis Westphalicis judiciis, diutinim evocantur, trahuntur & citantur, ac plus in dies trahi & molestari posse timetur. Quare pro parte ejusdem Caroli nobis fuit humiliter supplicatum, ut privilegiis praedictis pro illorum subsistentia firmiori, robor apostolicae confirmationis adjicere, aliisque in praemissis opportunè providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de praemissis certam notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum de privilegiis hujusmodi se diligenter informetis & si de illis post eorum coram vobis exhibitionem & inspectionem sic ut premittitur concessis, vobis legitime constiterit, ea autoritate nostra approbetis & confirmetis, illaque ut conservatores apli. eorundem privilegiorum sub ecclesiasticis sententiis & censuris ac etiam pecuniariis penis in dictis litteris Imperialibus expressis, firmiter observari faciatis atque mandetis, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis. Non obstantibus, felicis recordationis Bonifacii P.P. VIII. predecessoris nostri illis praefertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioc. nisi in certis exceptis casibus & in illis ultra bonam dietam a siue five dioc. ad iudicium evocetur. Seu ne Iudices a sede praedicta deputati extra civitatem vel dioc. in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, nescio de quibus dietis in concilio generali & aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque, aut si aliquibus



communiter vel divisim ab eadem sit sede inductum, quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Rome Anno Incarnationis dominice, Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono. Pridie Non: Martij. Pontificatus nostri Anno secundo.

(Signum  
Notarii.)



C C C C X I I I .

LITTERÆ PII P. M. AD EPISCOPUM SPIRENSEM  
QUIBUS FUNDATIONEM COLLEGIATÆ PFORTZHEI-  
MENSIS CONFIRMAT.

A N N O M C C C C L I X .

*Ex Tabulario Badensi.*

**P**ius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Epo. spirensi & dilecto filio Rutkero de Luterberg Canonico spiren. salut. & apostolicam benedictionem. sincera devotio dilecti filii nobilis viri Caroli Marchionis Baden. per quam se reddit altissimo & Romanæ Ecclesiæ matri suæ non sine magno laudum preconio gratum multipliciter & acceptum, non indigne meretur, ut sedem Apostolicam in illis præfertim